



# Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCCLIV. Kaiser Ludwig notificirt dem Kasimir, Könige von Krakau, eine  
Zusammenkunft mit dem Herzoge von Sachsen und dem Markgrafen  
Ludwig zur Abschließung von Bündnissen und eines Ehecontractes ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

parte altera tractandi, placitandi concordie vel amoris tractatus, seu placita quelibet terminandi nec non ligarum, confederationum et vnionum vincula vniendi debitisque modis firmandi contra homines quoscumque, per nos vtrunque realiter obseruandos, fratribus & militibus theutonicis hospitalis Jerosolimitani beate marie exceptis penitus et exclusis. Insuper prefatis principibus nostris damus et concedimus presentibus potestatem, de certis summis dotis et donationis propter nuptias nomine sponsaliorum per nostros liberos contrahendorum Conueniendi, paciscendi aut pacta seu conuentiones quolibet faciendi, Promittentes nos omnia et singula, que in premissis articulis vel aliquo premissorum per ipsos vel alterum ipsorum facta fuerint vel quomodolibet ordinata, Rata, grata, firma inuiolabiliter conseruare. In cuius etc. Datum frankenfürd, quinta decima die mensis Septembris, anno domini M°. CCC°. XXXVIII°. Regni nostri anno XXIII°. imperii vero XI°.

Nach dem Copialbuche Imperium Ludovici Imperatoris Nr. XVIII. Fehlerhaft abgedruckt bei Lubewig, Reliq. Man. II. S. 292.

DCCLIV. Kaiser Ludwig notificirt dem Kasimir, Könige von Krakau, eine Zusammenkunft mit dem Herzoge von Sachsen und dem Markgrafen Ludwig zur Abschließung von Bündnissen und eines Ehecontractes zwischen seinem Sohne und der Tochter des Königs, am 15. September 1338.

Ludovicus, dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Excellenti kazimiro Crakouie regi, fideli suo dilecto, gratiam suam et omne bonum. Ad instantem requisitionem magnifici principis Ludovici marchionis Brandenburgensis, primogeniti nostri dilecti, et etiam ob id, ut fauoris mutui beneficium, quod hactenus inter maiestatem nostram et excellentiam tuam non vixit fructuosius, et commendabiliter in antea vigere valeat Magnificum principem filium nostrum dilectum generose nate tue dilecte legitima copula data fide presentibus promittimus et volumus copulare, Volentes ad conferendum, tractandum et terminandum de singulis dicti matrimonii circumstantiis et condicionibus et specialiter de subsidio mutuo faciendo, de ligis et confederationibus, de dote et donatione propter nuptias, Ludovicum marchionem brandenburgensem, primogenitum nostrum karissimum, et Rudolfum, ducem saxonie, avnculum nostrum, et principes nostros karissimos, in die beati galli confessoris proxime venientis, infra castrum velen et Ciuitatem woldenburg plenum mandatum et auctoritatem ad omnia premissa, secundum litterarum, per consiliarios nostros, videlicet Henningum de Buch, Capitaneum marchie Brandenburgensis, dyppoldum, dictum guzen de lypheim, et heinricum, marscalcum de Eysoltried, desuper datarum, continentiam, habentes, indubie destinare, Ratum et gratum habituri quidquid ibidem circa premissa, et etiam circa vtilitatem, honorem & commodum principatum vtrorumque, attemptatum et ordinatum fuerit per eosdem. Datum frankenfurd, XV°. die mensis Septembris, anno domini M°. CCC°. XXXVIII°. Regni nostri anno XXIII, Imperii vero XI.

Nach dem Copialbuche Imperium Ludovici Imperatoris Nr. XX. Fehlerhaft in Lubewig Reliq. Mspt. II, 293.